



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De voluntate & eius fine. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

DE VOLUNTATE ET FINE, EX QUO
& ipsa iudicatur.

DISTINCT. XXXVIII.

POST prædicta de voluntate eiusque fine differendum est. Sciendum ergo est, quod ex fine suo, ut ait Aug. voluntas cognoscitur, utrum recta an prava sit. Finis autem bonæ voluntatis beatitudo est, vita æterna, ipse Deus. Malæ verò finis est aliud, scilicet, mala delectatio, vel aliquid aliud in quo non debet voluntas quiescere. Finem verò bonum insinuat Propheta dicens: Omnis consummationis vidi finem, &c. Caritas ergo cuius latum mandatum est, finis omnis consummationis est, id est, omnis bonæ voluntatis & actionis, ad quam omne præceptum referendum est. Vnde Aug. in Ench. Omnia præcepta diuina referuntur ad charitatem. De qua dicit Apostolus. Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bonâ & fide non ficta. Omnis itaque præcepti finis charitas est, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad charitatem quæ est dilectio Dei & proximi, non dum fit quemadmodum oportet fieri, quamuis fieri videatur. Tunc enim rectè fiunt quæ mandat Deus & quæ consilio monet, cum referuntur ad dilectionem Dei & proximi. His verbis aperte insinuatur, quis sit iustus finis voluntatis siue actionis bonæ, scilicet charitas, quæ & Deus est, ut supra ostendimus.

Quod Deus est finis omnis bonæ actionis, quia charitas est: nec tantum Spiritus S sed etiam Christus, & pater: nec hi sunt tres fines, sed vnus.

Qui ergo charitatem sibi ponit finem, Deum sibi ponit finem: vnde & Christum finem legis ad iustitiam dicit Apostolus esse omni credenti. Et rectè dicitur Christus finis legis ad iustitiam: quia
Aug. cap. 19. ut ait Aug. in lib. sentent. Prosperi, in Christo lex iusti-

Aug. in principio, cap. 6. lib. II. de Trinitate, tom. 3.

Aug. in Enchir. in principio, cap. 121. Tomo 3. Psal. 118. Cap. 121. in Tomo 1. 4. Tim. 1. a.

Rom. 10.

Aug. cap. 19.